

Band IV., Nr. 1069, Seite 130-131

Papst Innozenz IV. übergibt das Kloster Gotteszell bei Gmünd dem Predigerorden unter Verleihung der Gerechtsame dieses Ordens an dasselbe und unter weiter ausgedrückten Bestimmungen.

Lyon, 1246. März 13.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, dilectis in Christo filiabus . . priorisse et conventui monialium monasterii de Cella Dei extra muros Gamundie¹, Augustensis diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis benignitas prudentes virgines, que se parant accensis lampadibus obviam sponso ire, tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto maiori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dinoscuntur. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos incluse corpore in castris claustralibus mente tamen libera devote domino famulantes de institutionibus fratrum ordinis Predicatorum illas, que vobis competunt, hactenus laudabiliter duxeritis observandas ac committi . . magistro et . . priori Theutonie ipsius ordinis affectetis, nos pium vestrum propositum in domino commendantes, devotionis vestre precibus et etiam consideratione dilecti filii nobilis viri Iohannis comitis Montis Fortis², nobis pro vobis supplicantis, inducti, vos et monasterium vestrum auctoritate presentium magistro et priori committimus supradictis. Eadem auctoritate nichilominus statuentes, ut sub magisterio et doctrina magistri et prioris provincialis Theutonie, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis, illis gaudentes privilegiis, que ordini predicto ab apostolica sede concessa sunt vel in posterum concedentur, ipsique magister et prior, contraria consuetudine ipsius ordinis vel indulgentia, ab apostolica sede optenta seu etiam optinenda, nequaquam obstantibus, animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam ac vobis de constitutionibus eiusdem ordinis illas, que vobis competunt, sine difficultate qualibet exhibentes, eidem monasterio per se vel per alios fratres sui ordinis, quos ad hoc idoneos viderint, quotiens expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo et reformatando ibidem, tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis officio noverint indigere, nichilominus instituant et destituant, mutent et ordinent, prout in aliis monasteriis monialium eiusdem ordinis fieri consuevit, – electio tamen priorisse libere pertineat ad conventum, – confessiones vestras audiant et ministrent vobis ecclesiastica sacramenta. Et ne pro eo, quod in

¹Schwäbisch Gmünd.

²Montfort, schwerlich Montfort in Vorarlberg, aber fraglich, zu welchem Montfort gehörig.

II

monasterio vestro ipsius ordinis fratres residere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, predicti magister et prior ad confessiones in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta predicta vobis deputent aliquos discretos et providos capellanos. Ad hec liceat vobis redditus et possessiones recipere ac ea libere retinere. Non obstantibus contraria consuetudine vel statuto ipsius ordinis, confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roboratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

 Datum Lugduni, III. idus Martii, pontificatus nostri anno tertio.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Die Bleibulle ist verloren. Auf der Plica rechts: *P. B.* Auf dem Rücken der Urkunde: *Garnerus domini pape Subdiaconus*; darunter + und ein *R*, in dessen oberer Hälfte *scripsit* eingeschrieben steht.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 185 U 3

Regesten:

AUGUST POTTHAST (HRSG.): Regesta pontificum Romanorum inde ab anno post Christum natum MCXCVIII ad annum MCCCIV, 2 Bde., Berlin 1874-75, Bd. 1, Nr. 12024. Régistres d'Innocent IV., Bd. 1, S. 264, Nr. 1768. ALFONS NITSCH (BEARB.): Urkunden und Akten der ehemaligen Reichsstadt Schwäbisch Gmünd 777 bis 1500, 2 Bde., Schwäbisch Gmünd 1966-67 (Inventare der nichtsstaatlichen Archive in Baden-Württemberg, 11 und 12), Bd. 1, S. 4 f., Nr. 17. TILMANN SCHMIDT: Die Originale der Papsturkunden in Baden-Württemberg: 1198-1417, 2 Bde., Vatikan 1993 (Index actorum Romanorum pontificum ab Innocentio III ad Martinum V electum, 6,1-2), Bd. 1, S. 103, Nr. 222.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lyon

Aussteller:

Innocenz IV.; Papst

Ortsindex:

Augsburg, A
 Deutschland
 Gotteszell Aufgegangen (22663)
 Gotteszell, aufgeg. in Schwäbisch Gmünd AA
 Lyon, Dep. Rhône, Frankreich
 Montfort (Regierungsbezirk)
 Montfort, Götzis, Vorarlberg, Österreich
 Schwäbisch Gmünd Wohnplatz (4879)
 Schwäbisch Gmünd, AA